



DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO PRACTICA
DE
ENTERITIDE OCCULTA.

D I S S E R T A T I O

INAUGURALIS MEDICO PRACTICA

D E

ENTERITIDE OCCULTA,

quam

Consensu et Auctoritate

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,

nec non

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

pro

DOCTORIS LAUREA

**SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME**

C O N S E Q U E N D I S

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

publicae disquisitioni submittit

Antonius Franciscus Harpff,

Hungarus Jaurinensis.

**In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 4. Decembris 1830.**

VINDOBONAE,

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

La science, qui instruit, et la Médecine, qui guérit, sont fort bonnes;
mais la science, qui trompe, et la Médecine, qui tue, sont mau-
vaises.

J. J. Rousseau.

PATRI OPTIMO ET PERDILECTO

ANTONIO KARPFF

MEDICINAE DOCTORI, ET LIBERAE, REGIAEQUE
CIVITATIS JAURINENSIS PHYSICO PRIMARIO

IN

AETERNAM PII AMORIS MEMORIAM PAGELLAS
HASCE SACRAS ESSE VULT

gratissimus filius.

L e c t o r i .

Quid humeri valeant, quid ferre recu-
sent, mecum perpendens, argumentum
pro inaugurali dissertatione selegi saepe
a medicis trituratam, practicum, mo-
mentosum, non exhaustum. Quid in eo
praestiterim, quid praestare valuerim,
cuivis aequi animi iudici aestimandum
relinquo. Talem autem non praedicabo
eum, qui a tirone medico scientiae po-
stulaverit augmentum, virium tenella-
rum, temporisque immemor angustiae.
Haec sunt, quae praesenti libello prae-
mittenda censui, ne cuidam pagellas has
censorio castigare fastu, animus veniat.

Aucto r.

I n g r e s s u s .

Intestina sunt viscera, quae omnibus potentiis externis vitae inimicis latam offerunt superficiem, quae cum maxima stimuli receptivitate summam hujus coniungunt impatientiam, quae cum omnibus totius reliqui corporis organis nexu intimo, organico et vitali, uniuntur, ut adeo mirum videri non possit, illa saepissime morbis tentari, in illis morborum somaticorum acutissime saevientium, cachexiarum pertinacissimarum, oscillantis nervorum vitae, quin imo et deviantis a recta semita Psyches primam radicem quaerendam esse.

Quam veritatem licet omnes omnis aevi agnoverint medici, in distinguendis tamen, adeoque et curandis intestinorum morbis non exiguos et paucos multi commiserunt, committuntque errores, tum quia intestina, acrius licet sentientia, ob profundam in abdomine sedem saepe morbum, quem contraxerunt, paucis solummodo et obscuris patefaciunt symptomatibus; tum quia reliqua

corporis organa, ob nexum cum intestinis sympathicum, his male affectis aegrotare, diversissimaque phoenomena morbosa producere consuescunt, quae singillatim spectata pro idiopathica eorundem passione imponunt medico minus attento, et in aegris examinandis sub falso acquisitae per longam annorum seriem practicae dexteritatis praetextu, cum socordia incedenti. Sic et morbus, quem describendum mihi proposui, enteritis scilicet occulta, frequenter a medicis praetervisus; et neglectus, vel et ab aliis, qui ubique debilitatem, spasmus, sordes, vermes, flatus subesse rati sunt, remediis cardiacis, antispasticis, catharticis, anthelminticis, aut carminativis oppugnatus, et exasperatus est. Non minus a vero declinarunt, qui in *Broussaisii* doctrinam iurantes semper et ubique inflammationem intestinorum inculpabant, cruenta sua medicina paucis salutem, necem quam plurimis parantes. Ast, me hercle! nec facilis est phlogoseos, qua intestina corripuntur cognitio et ab aliis morborum adfectionibus viscerum in abdominis cavea contentorum distinctio, adeo ut monente eximio *Petro Frankio* silentis potius naturae, quam medicorum errore saepe saepius praetervideatur. Juvat itaque ante omnia, quae hanc phlogosin comitantur, signa in memoriam

revocare, et dein, in quibus ab aliis sibi similibus morbis differt, momenta adducere.

Signa Enteritidis occultae.

Pathognomica enteritidis latentis signa sunt:

1. Febris, quae in enteritide primaria ab initio sthenicae indolis, et exigua esse solet, quin tamen desint exempla vehemētissimae sthenopyrae enteritidem occultam stipantis; secundario vero modo phlogosis intestinorum in febris cuiuscunque characteris oriri potest. Memoratu dignissima illa est inflammationis intestinorum species, quae in febris, adynamicum characterem tenente, evolvitur, et de qua infra plura acturus sum. Notandum tamen est, calorem, pulsum, sitim, se- et excretionem ad sensum normales pluribus observatoribus 1) adparuisse, ut itaque febris praesentia desideraretur quae aliis in casibus intermittens, aut vesperi solummodo et post prandium assumptum recurrens observata fuit, ex calore adaucto, rubore genarum circumscripto, siti maiori, pulsu citato, urinis lateritii coloris dignoscenda.

1) *Stoll. ratio medendi* p. 1. pag. 266.

2. Dolor, qui varius est pro ratione sedis, extensionis, et intensionis ipsius inflammationis, sensilitatis aegri, aliarumque circumstantiarum, semper tamen minus acerbus, ac in enteritide manifesta. Qui inflammatis intestinis tenuibus oritur, dolor vehementior illo est, qui crassorum inflammationem subsequitur. Ille, qui in umbilicali regione persentitur, urens plerumque est, pungens, vel lacerans, a pluribus aegris cum dolore comparatus, quem accumulatae in parte quadam viva prunae excitare solent, ad plagam circumscriptam extensus, successu temporis radiatim diffundendus. Hic, qui vel ab uno hypochondrio ad alterum tensae chordae adinstar extenditur, vel coli descendens, et coeci situi respondet, aut denique lumborum tenet regionem, premens plerumque est, aut illi, qui a spasmo dependet, a nonnullis equiparatus, pruriens quoque et tensivus in proctitide, aequè circumscriptus, tardius nonnisi ulterius progrediens. Uterque est continuus, remittens, aegro quietem tenente nonnunquam, praesertim sub morbi initio, intermittens, sub attactu, tussi, vomitu, nixu ad alvi depositionem, inspiratione profundiori, aliaque vehementiori corporis commotione, nec non post usum acrium, calefacientium exasperandus.

Ad cognoscendam doloris sedem, indolem, et gradum semper investigatio manualis necessaria est, quae saepe sola, in infantibus praepressis, ad rectam morbi diagnosis ducit. Haec investigatio eum in modum instituenda est, ut venter aegri dorso incumbens, situmque horizontalem tenentis, et flexis genibus musculos abdominales relaxantis, in omni regione leni manu primo, rudiori postea prematur. Hac pressione fit, ut aeger, quem vix antea sensit, dolorem distincte percipiat, et quem tenet, locum accurate definire possit. Infantes, et ii, qui morbo somatico graviore, vel psychico decumbentes mentis suae compotes non sunt, doloris exasperationem, quae attactum excipit, variis indicant signis: manum nimirum prementis admota propria removendo, musculos abdominales contrahendo, extremitates attollendo, faciem, os et oculos varia ratione contorquendo. Ultimum hoc signum maximi ponderis esse iam summus olim observator, et Morgagnii magister *Hyppolitus Albertini* discipulo suo inculcavit. Nonnulli aegri sub hoc examine spiritum profundius, citiusque attrahunt, vel et sonum brevem, debilemque edunt. An vero inflammatio intestinorum detur tam subdola, ut nullo se dolore manifestet, adhuc sub iudice lis est, quumavis id celeberrimi viri: *Frid. Hofman-*

nus 1), *Morgagni* 2), *Spiegel* 3), de *Huen* 4) affirmant, qui in dissectis nonnullorum cadaveribus intestina inflammata et gangraenosa conspexerunt, quamvis nullus in aegrorum abdomine dolor praecessisset. Sunt tamen autores fide dignissimi, e quibus celeberrimus *Samuel G. Vogel* 5), praecipue commemorari meretur, qui existentiam enteritidis occultae absque dolore incedentis extra dubitationis aleam nequaquam positam esse, sat firmiter contendunt.

3. Alvi obstipatio. Hoc enteritidis verae, primariae, et omnes intestinorum tunicas pari ratione infestantis symptoma constans in illa, quae sub decursu febris biliosae, adynamicae, nec non dysenteriae, et morborum feбри hectica sociatorum, oritur, plerumque deest, in quibus morbis alvus potius secedit frequens, aquosa, viridescens, brunea, vel sanguinolenta, hinc inde tenesmoidea, quin semper sola villosa intestinorum membrana morbi focum praebeat.

4. Vomitus cum praecedentibus nausea, et ructibus saepius absque ansa data recur-

1) Dissert. de febre maligna. 1669 in supplem.

2) De sedibus et causis morborum epist. 29. n. 11.

3) De feбри semitert. l. 1. c. 14—16.

4) Ratio medendi. P. VI. pag. 263.

5) Handbuch d. praktischen Arzneiwissenschaft. Wien 1801. IV. Theil. pag. 301.

rens, quo primo ea, quae ingesta sunt, dein vero hilis flavi vel aeruginosi coloris, et ultimo faeces (ileus inflammatorius) cum impetu eiciuntur, magna virium debilitate subsequa. Hoc tamen symptoma in enteritide latente, praesertim si ea levioris gradus est, aut crassa occupat intestina, saepe desideratur.

5. Sitis clamosa constans sistit, et omnino pathognomonicum enteritidis cuiuscunque signum, quae caeteroquin in potulenta variae indolis directa esse solet pro ratione febris praesentis nunc sthenicae, nunc asthenicae. Ut plurimum tamen hoc morbo afflicti frigida avidissime, ut haurire possint, expostulant, acerbissimos dolores et internum ardorem hac ratione pro momento saltem lenire molientes. Sitis haec tantalea fors in causa est, quod chronica intestinorum phlogosi laborantes, si desipientia accedit, mortem in aquis quaerant 1).

6. Peculiaris denique physiognomiae alienatio symptoma praebet, ut iam Morgagnius adnotat, in omni enteritide observandum, et in infantibus praecipue magni aestimandum. Vultus dolorem exprimit, terrorem, vel anxietatem, fronte, superciliis, nasove plicatis, genis introrsum sursumque radicem

1) *Joseph Bernt: Systematisches Handbuch d. gerichtlichen Arzneykunde. Wien 1828, Pag. 338.*

nasi versus contractis, curvis, quae alis nasi superiora versus attractis, oriuntur, lineis, distincte conspicuis, foraminibus narium patulis, labio superiori elevato, inferiori depresso, dentibusque hac ratione denudatis, et philtro mentali magis visibili, collapsa sulcisque notata facie, oculis aegri cui-dam obiecto fixe plerumque inhaerentibus, veluti mias cogitantis, et meditabundi, caeteroquin turbidis, alias praeter normam splendidis, pupillae lumine angustato, colore faciei pallido, squalido, cum lividis hinc inde maculis, margine labiorum obscure caeruleo.

Praeter haec pathognomonica occultae intestinorum inflammationis symptomata alia nonnunquam medico se offerunt minus essentialia, et constantia, ad quorum cohortem pulsus refertur, qui, febris characteri non semper respondens, iam frequens, fortis, plenus, iam mollis, parvus, vacuus, saepissime parvus, citatus, duriusculus, filitensi ad instar tangendus, hinc inde etiam normalem frequentia vix superans invenitur. Iluc spectant porro: abdomen calidum, meteoristice expansum, ructus inanes, borborygmi, flatus dolentes, singultus, rubor genarum circumscriptus, lingua praerubra, arida, aphtae, respiratio plus minus thoracica, praecordiorum anxietas, agrypnia,

frigus extremitatum cum unquium livore, ischuria, urina, flammea, debilitas subitanea, animi deliquia, convulsiones in infantibus, et varia epigenomena.

Necesse praeterea est, ut medicus diagnosim suam confirmaturus ad causas morbi occasionales, aetatem aegri, therapiae hucusque adhibitae, et regiminis diaetetici effectum, morbos exantlatos, geniumque morborum stationarium, annum, et intercurrentem studiose attentus sit, qui nonnunquam non solum inflammationibus in genere, sed enteritidi speciatim favet, cuius exemplum legitur apud *Sydenhamum* 1) narrantem, per tres annos, et ultra talem obtinuisse morborum epidemicorum indolem, ut plerumque versus intestina deponerent febrilem materiam, nunc dysenterias, nunc tormina absque deiectionibus, quandoque et acerbissimos dolores colicos et iliacos producentes.

Memoratu dignissima illa est occultae enteritidis species, quae cum feбри adynamicum characterem praeseferente incedit, cuius complicationis duplex esse potest ratio, prouti hic vel alter morbus fuerit protopathicus, aut deuteropathicus. Rarius contingit, ut febris enteritidi latenti superveniens

1) Sect. IV. Cap. VII. pag. 258 etc.

brevi asthenicum assummat characterem, cum haec ipsa tarda ut plurimum capere soleat incrementa; successu temporis vero, laesa nutritione consumptisque viribus febricula lenta nervosum induit characterem.

Frequentissime vero contingit, ut febris sthenicae in nervosam versae occulta sociam se adiungat intestinorum phlogosis, quam observationem recentissimis non nisi anatomiae pathologicae cultoribus in acceptis referendam habemus. Maximi pro praxi momenti hanc esse, nullius oculos effugiet, praesertim cum ea tam frequens occurrat, ut longe maior pars aegrorum febris nervosa decumbentium hac complicatione maligna affligatur, et interficiatur. Sic celeberrimo *Bischoff* 1) inter quadraginta octo nervosa febris peremptos, quadraginta sex se offerebant, quorum intestina perniciosae inflammationis, et exulcerationis vestigia sat conspicua monstrabant. Relationem inter febres adynamicas, et enteritidem secundariam perscrutanti, celeberrimi *Hufeland* 2) praeplacet opinio, intestinorum inflammationem qua typhosarum februm effectum considerantis, atque illius, veluti aphtarum, anginae gangraenosae, peptechiarum, miliarium, furunculorum has

1) Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung der Fieber und Entzündungen. Wien 1830, pag. 217.

2) Journal d. praktischen Heilkunde, Jahr 1830. April-Heft.

febres saepe stipantium, originem et malignam naturam ex depressa in toto corpore vitalitate, vitiataque sanguinis et aliorum humorum crasi explicare adnitentis, quin diffitendum sit, hac explicatione omnem non solvi nodum, eamque ulteriori dilucidatione indigere. Magnopere tamen a vero declinant, qui naturam nervosae febris semper et ubique in hac latente enteritide positam arbitrantur, omnium symptomatum originem, et concatenationem ex hoc ipso morbo explicare rati, id quod habito ad decursum morbi, therapiam, et cadaverum extispicia respectu, concedi minime potest. Etenim adynamicus febris character enteritide prius evolvitur, sat altum attingens gradum, donec morbus hic infaustus se socium adiungat, aegri valentissimis non nisi saepenumero salvantur stimulantibus, cadavera rite inspecta hinc inde nullam ostenderunt inflammationem, nulla ulcuscula. Distinguendum igitur est inter febrim adynamicam cum occulta enteritide, et sine hac incedentem. Momentosissima attamen haec distinctio in casu quolibet speciali difficillima, cum inter utrumque morbum maxima adsit similitudo, eadem utrique conveniant symptomata, uterque versatilis esse possit, aut soporosus. Symptomata, quae hucusque saltem securissime latentem indi-

cabant feбри asthenica praesente enterophlogiam, sequentia sunt:

1. Meteorismus pro infausto iam ab antiquissimis temporibus omine medicis habitus primam movet de inflammatione intestinorum suspicionem. Ad dextram abdominis regionem ab initio circumscriptus successive per totum propagatur abdomen, latere dextro sub concussione magis semper resonante. A flatulentia eo distinguitur, quod flatus secedentes nullum post se trahant levamen.

2. Signum momentosissimum, securissimum est dolor, qui ab aegro sub manuali exploratione abdominis profunde, et ad vertebrae fere lumborum sub cautelis iamiam enumeratis instituenda percipitur. Contingit enim saepe, ut aeger, praesente etiamsi intestinorum phlogosi, attactum leviolem ferat, quin dolor augeatur, aut saltem eiusdem incrementum medico exploranti indicetur, praesertim si meteorismus inflammatorius ad altiorem iam evolutus fuerit gradum. Experientia docuit, in regione epigastrica ruditer licet pressa nunquam dolorem ab aegris accusari, neque ventriculi inflammati signa in cadaveribus cerni, ut itaque gastro-enteritidis *Broussaisii*, huiusque sequacium in nervosa feбри perpetua praesentia ad dicibula iure merito referatur. Rarissimis in casibus quoque regio umbilicalis, utraque hy-

pochondriaca, iliaca sinistra dolorificae sunt, ita ut partium hic reconditarum inflammatio nonnisi accidentalis sit. Investigatione tamen manuali rite instituta in dextra iliaca regione, praecipue in plaga Poupartii ligamento superposita, ubi musculus obliquus internus et rectus abdominis conveniunt, et circa hypogastrium dolorem aegri accusant, rarius sermone, quam signis automaticis, contorsione nimirum musculorum faciei, gemitu, risu sardonium aemulante, extremitatum agitatione, mussitante delirio. Ex his oppido elucescit, inflammationis intestinorum adynamicam stipantis febrim, focum in ileo ardere, quod idem et cadaverum sectionibus satis superque corroboratum est. Juvat itaque eam ileitidem *κατ' ἐξοχήν* appellare, cui cum maximus in malignam exulcerationem, et gangraenam pedissequam abeundi nisus sit, epitheton ulceroso-gangraenosae convenire, autoribus nonnullis visum est. Celeberrimo *Hufeland* eam pustulosae praedicato insignire lubuit.

3. Abdominis calor medici manu, vel et thermometro indagandus, multum adauctus, ita ut mordacis caloris, cuius in feбри nervosa mentionem veteres iamiam fecere medici, hic quasi focus radians existat.

4. Notatu dignum huius inflammationis signum est diarrhoea frequens ingruentem

indicans ulcusculorum formationem. Faeces his alvi deiectionibus, inscio potissimum aegro contingentibus nullae, aut parcissimae eiciuntur, materia excreta potius fluida, ichorosa, brunei vel nigricantis coloris, cadaverosum spirante odorem, hinc inde atro, resolutove remixta sanguini. Est etiam, ut largum huius contingat ex ano profluvium lethale ut plurimum, idque cito.

5. Febris typus continuus est, remissionibus magis in diem magisque in inversa crescentis phlogoseos ratione decrescentibus.

Minus characteristicam reliqua sunt ab autoribus recensita phaenomena, lingua utpote praerubra sicca, aut bruneis nigrisque notata striis, et porrigi impotens; nares iusto magis rutilantes, siccae; respiratio thoracica; cutis arida aut partialibus cooperta sudoribus. Ad fallacissima vero signa referendus est pulsus, quem citatissimum, debilem, parvum, sub exacerbationibus duriusculum autores nonnulli testantur. Ad confirmandam ileitidis praesentiam contribuit effectus adhibitae therapiae valide stimulantis maleficus, benignus vero leniter stimulantis, vel et mitioris antiphlogisticae. Nervosam stupidam vix non semper infausta hac complicatione insignitam esse, adnotatur, tametsi frequens quoque in erethistica observetur. Clarissimus anatomiae pathologicae Professor

Vindobonensis *Wagner* 1) observavit, in individuis, quorum encephalon ante ingressum characteris nervosi gravius tentatum erat, inveniri quidem signa status paraphlogistici aut congestionum in cerebro, huiusque meningibus, exiguas vero mutationes in tubo alimentari, etiamsi morbus diu duraverit. Sic etiam, ubi febris peripneumoniam, peritonitidem, enteritidem concomitans in asthenicam transivit, ulcerationes in canali intestinali nonnisi imperfectae cernebantur. An vero dyscrasia scrophulosa, vel syphilitica affectis frequentius morbus hic complicatus struat insidias, ob summam huius frequentiam, dubitandum.

Morbi discrimen ab aliis.

Morbi, qui primo obtutu quandam cum enteritide occulta similitudinem praeseferre videntur, natura sua vero et sede ab ea multum differunt, sequentes sunt:

1. Myositis abdominalis gradus levioris, quam tamen dolores magis superficiales sub levissimo attactu, motuque corporis exacerbandi, tumor et rubor fibrarum muscularium inflammatarum directionem sequens, et

1) *Medizinische Jahrbücher des k. k. österreich. Staates vom Jahre 1826*

defectus symptomatum gastricorum pertinacisque alvi obstipationis ab enteritide latente satis distinguunt, quam a simplici Myodyniam abdominali, rheumaticae aut alterius originis, vaga saepe et afebrili, discernere adhuc facilius erit.

2. Peritonitis si acuta est rarius, si chronica frequentius cum latente intestinorum inflammatione confunditur. Dolor tamen minus profundus, sub leviori corporis motu increscens, in acuta lacerans, pungens, aut urens, in chronica pruriens, tensivus, constringens, alvus minus impedita, et absentia symptomatum gastricorum totidem sistunt signa characteristicam, et distinctivam omnium peritonitidis.

3. Mesenteritis ab enterophlogia occulta dolore profundiori a dorso ad umbilicum se extendente, praesertim sub flexione trunci et umbilici pressione increscente, nec non tumore quodam duro hac in regione saepius percipiendo, vomitusque defectu se distinguit. Saepissime vero contingit ut ambae inflammationes iunctim aegrum excrucient.

4. Epiploitidem ab enteritide occulta non quidem dolor circa umbilicum praesertim sub tactu sentiendus, sed tumor planus, aegro se movente situm mutans, durusque, qui hac in plaga tangitur, distinguit.

5. Difficilior est colluviei gastrico-bi-

liosae cum vomitu et colica symptomaticis ab enteritide occulta distinctio. Ast, qui in morbo priori contingit vomitus, veluti evacuatio per alvum subsequam habet, etsi non semper, plerumque saltem, euphoriam constantem aut evanidam, cum vomitus enteritidi superveniens hanc non solum non mitigat, ut potius exasperet. Colici praeterea dolores in colluvie gastrico-biliosa praegressis aliis symptomatibus male affecto ventriculo tribuendis oriuntur, saepenumero vagi, latiore etiam, dum incipiunt, sedem occupantes; eos vero, qui ex enteritide ortum trahunt, symptomata gastrica non praecedunt, sed excipiunt, sede eorum, quam fixe tenent, ab initio angustioribus limitibus circumscripta. Color corporis icterodes, et urina praesentibus saburris biliosis iam inchoante morbo turbida, et hypostasim emittens, quae dum intestina inflammatione patiuntur, plerumque cruda est et absque sedimento, multis in casibus, quinam morbus lateat, medicum edocere valent, qui ad aegri constitutionem, temperamentum, morbi causas, originem, decursum, symptomatumque syndromen, et genium epidemicum attentus plura adhuc inveniet, quibus in statuenda duci potest diagnosi. Non possum non commemorare hac occasione observatum *Baglivii* dicentis: „In colica biliosa contingit sae-

pissime aponia, et vox rauca, duratque interdum per totum morbi decursum; haec eadem vox rauca observatur pariter in febribus a bile ortis, quamobrem arguere merito possumus, raucas huiusmodi voces et aphonias in acutis et similibus morbis subindicare nobis causam proximam illorum pendere a bile, sive partibus acribus, volatilibus, sulphureisque." Fateor tamen, omnia, quae adnotavi inter utrumque morbum, discrimina minime constantia esse, et medicum in arte versatissimum, singulaque anamnestica scrupulose perpendentem saepe numero falli posse ita, ut his in casibus a iuvantibus et nocentibus, veluti indicatio, ita debeat fieri diagnosis.

6. Ad colicam spasmodicam ab enteritide rite discernendam dolorum ratio praecipua habenda est, qui priori in morbo subito plerumque accedunt, aut levidenses antea, subito exacerbantur, tardius tamen furore deposito silent, novo mox impetu recrudescentes, locumve mutant. Aegri dolorem genium attractione, et eo alii mitigare student, quod ventri incumbant, veluti et rudior abdominis pressio illis levamen hinc inde adfert, cui in enteritide contrarium contingit. Quae spasticis secus affectionibus socia se adiungunt symptomata, apyrexia nimirum, pulsus inaequalis, inconstans, saepe lentus,

urinae tenuis et aquosae secessus, nervorum in remotis quoque partibus distentiones et spasmodicam colicam potiori ex parte comitantur, quae caeteroquin individua praediligit hypochondriaca, et hysterica.

7. Qui in incipiente enteritide saepe percipiuntur borborygmi, seceduntque flatus morbum cum colica flatulenta confundere faciunt, cum tamen ipsimet simul inserviant morbis his duobus a se invicem distinguendis. Cum magno mittuntur levamine flatus in posteriori, dolentes sunt et dolores causant in priori, in quo nec tam frequentes observantur, imo saepius deficient, quod idem de borborygmis valet. Abdomen totum expansum, sub attactu et frictione saepe indolens, imo singulare levamen persentiens, tumore circumscripto nonnunquam prominulo, dolores vagi ventris saepe limites transgredientes, et pleurodynen lumbaginemque, quas autoribus flatulentas dicere placuit, provocantes, atypica eorum remissio et exacerbatio, motuumque febrilium absentia totidem sistunt momenta flatulentiae colicae praesentiam probantia.

8. Moliminibus haemorrhoidum antecursoribus ea nonnunquam tribuuntur symptomata, quae latente recti intestini phlogosis sensibus se sistunt. Peculiaris hic aegri ad malum haemorrhoidale dispositio prae cae-

teris in considerationem summenda venit, quae viris prae faeminis, adultioribus, hypochondriacis praeprimis et hystericis, prae iuvenibus solennis, saepe haereditaria, ex laesis canalis alimentaris functionibus, plenitudinis et anxietatis in hypochondriis sensu, congestionibus ad diversas corporis partes, luridove faciei colore cognoscitur, quae si cum doloribus intestini recti cujuscunque indolis ad lumborum regionem, dorsum, imo et occiput se extendentibus, pruritus molestissimus excipientibus aut cum illo alternantibus concurrerit, instantes indicat haemorrhoides, etiamsi, quae illas multoties praecedere, et comitari solent, affectiones urethrae, glandis, testium, aliarumve partium sympathicae, et vasorum haemorrhoidalium expansiones defecerint. Ubi vero absente illa dispositione sedes dolorum magis limitata, alviq; depositio difficillima, aut impossibilis est, iure proctitidem arguere licet. Hanc autem inflammationem frequentius, quam vulgo creditur, occurrere censeo, et quamvis non eandem cum nonnullis autoribus opinionem teneam, malum haemorrhoidale pro venosa recti intestini inflammatione declarantibus, ei tamen frequenter paraphlogisticum hujus statum, aut veram phlogosin subesse, nullus ambigo, quod totius morbi decursus, therapiaeque anti-phlo-

gisticae, generosioris saepe, effectus faustissimus sufficienter demonstrat.

9. Cavendum porro, ne, quae ex enteritide oriuntur mala, morbo verminoso adscribantur, quem tamen dolores uno quasi ictu invadentes, subitove cessantes, de loco in locum serpentes, dein ad umbilicum restricti, alvus nunc adstricta, nunc laxa, appetitus saepe insatiabilis, farinaceaque ex postulans et reliquorum symptomatum sive idiopathico, sive sympathico modo susceptorum maxima inconstantia, et varietas, totusque morbi decursus perbene ab illa distinquit.

10. Colica a plethora abdominali ex suppressis mensibus, haemorrhoidibus, aut aliis profluviiis cruentis habitualibus oriunda ab enteritide occulta solummodo gradu differt, cum illa subinflammatorio tubi intestinalis statui innitatur, qui neglectus in veram ejusdem inflammationem transit, quod etiam ad dolores colicos applicandum arthritidi praepostere suppressae genituram suam debentes.

11. Hepatalgia quoque calculosa occultam aemulatur enteritidem, longiori tempore medicum fallens ob deficiens saepe praecipuum pathognomonicum: calculorum nimirum per emesin, aut catharsin eliminationem. Periodica vero et atypica aurigine,

dolore in felleae cystidis regione percipiendo, qui ad mucronatam usque tendit cartilaginem, imo scapulam nonnunquam attingit, claviculamve, periodico, ventriculo pleno ferociori exardescente impetu, suam in iecore calculus effatur praesentiam.

12. Dysenteriae ab enteritide distinctionem, quam cel. *Reyland* 1) urget, necessariam vix esse arbitror, cum secundum celeberrimos: *Wedekind* 2), *Marcus* 3), *Speyer* 4), *Vogel* 5), *Richter* 6), aliosve dysenteria nil aliud sit, quam venoso-lymphatica crassi intestini inflammatio exorbitante nervorum sensibilitate stipata.

13. Cum atrophia, qua neonati saepius intereunt, signa acidi primarum viarum offerat, et hanc ob rem cum spasmis, doloribusque intestinorum, pusionumque eiulatu coniuncta sit, facile pro subdola posset ha-

1) *Bernard Joseph Reyland* Medicinisch-praktische Abhandlung von verborgenen und langwierigen Entzündungen Wien 1790. P. 144. Eiusdem tractatus medico practicus de inflammationibus latentibus. Ingolstadii 1787. P. 64.

2) *Wedekind* über die Ruhr herausgegeben v. *Dannenberg*. Frankf. a. M. 1811

3) *Ephemeriden d. Heilkunde*, Bd. IV. Th. 1. S. 54.

4) *Versuch über die Natur und Behandlungsart der Ruhr*. Nürnberg. 1809,

5) *S. G. Vogel* Handbuch der. prakt. Arzneywissenschaft. Stendal. Th. IV. S. 252.

6) *Aug. Gottl. Richter spec. ther.* 2te Auflage Berlin 1817. Bd. 2. S. 112.

heri enteritide, nisi coexistens extremitatum emaciatio, senilis et simiam aemulans vultus, laxitas universi corporis, diarrhoea coctorum quasi ovorum frustula evacuans morbi diagnosim faciliorem redderent. Quae adultiores aetate infantes corripit atrophia — paedatrophia vulgaris — a priori bene distinguenda, vix unquam a medico gnaro cum phlogosi intestinorum confundetur.

14. Inflammatio superiorem tubi intestinalis partem occupans a gastritide arduae saepe distinguitur, eo unico apud autores adnotato discrimine, quod in dodecadactylitide ingestorum vomitus tardius sequatur ac id in ventriculi phlogosi esse soleat. Minoris tamen pro praxi momenti hocce discrimen est, cum uterque morbus eandem exigat therapiam.

Sunt praeterea nonnullae morborum species, quae a longinquo spectatae enteritidis praeseferunt faciem, ut pote: hepatitis, splenitis, cystitis, nephritis, et nephralgia a calculis aut alia causa oriunda. Morbi hi tamen penitus lustrati naturam suam sat luculente patefaciunt, ut adeo superfluum existimem, quibus ab enterophlogia distinguuntur, signorum commemorationem. Discrimina essentialia in hepatitide et lienitide ab hypochondriorum dolore se per brachia ad scapulam et claviculam extendente, et ictero, in ne-

phritide, cystitide, et nephralgia ab urinae se- et excretionem desummenda. Metritidem ab enteritide doloris sedes praecipua in regione hypogastrica eminens, alvi obstipatio et vomitus minus constans, et causae praegressae matrici infestae discernunt. — Lumbago, veluti psoitis acuta et chronica dolore a lumborum regione ad dorsum et femora se extendente, trunci flexionem, genuumque attractionem impediens, alvo saepe minus difficili, absentia, aut raritate vomitus ab enteritide latente distinguitur.

Cadaverum sectiones.

Diversa se offerunt, cadavera enteritide occulta aut hujus sequelis peremptorum extispici medico. Qui durante inflammatione defuncti sunt, intestina offerunt ad maiorem aut minorem plagam sanguine turgida, quasi arte iniecta, praerubra, angustata, una vel altera tunica libera, aut omnibus affectis. Qui ex suppuratione, induratione, hypoplepsi lymphatico-plastica, gangraena occubere aegri, horum exituum vestigia offerunt manifesta.

Si abdomina eorum, qui ob febrim nervosam cum subsequa enteritide ultimum efflarunt spiritum, secuerimus, nonnunquam ieiunum, saepe ileum intestinum lividis et

margine elato distinctis maculis notata deprehendimus. Pro vario, quem morbus attigit, stadio, dissectae ilei tunicae varia offerunt. Primis temporibus mucosa intestinorum membrana quidquam tumidula pallide rubet, praesente biliosa affectione in flavum vergit. Intumescunt dein glandulae muciparae, unde tunica villosa parvis rubescentibus, aut griseis milii formam aemulantibus granulationibus obsita deprehenditur. Granulationes hae usque ad valvulam coeci numero et magnitudine crescunt, usque dum membrana villosa obscure rubra, aut purpurea tecta ad pisi magnitudinem prominent. Rupta demum membrana mucosa, relaxatove magis inter hanc et corpora illa glandulosa nexu, haec ipsa, quorum textura mutatur, consistentia adaugetur, facile a circumscisa membrana mucosa distinguuntur, colore ex albo in rubrum vergente, aut griseo nunc notata. Intima intestini ilei membrana post rupturam magis magisque a convexitate corporis glandulosi recedit, ad marginem hujus ad dimidiam vel et integram lineam elata. Corporis glandulosi interim pars maxima mollescit, et ab abnormi secreto intestinali infiltratur. Mox plagae exulceratae, quae rubrae, aut in vicinia valvulae coeci lividae et numerosiores sunt, luridum hocce corpus glandulosum in maiori ambitu

ostendunt membrana mucosa magis ab eo recedente, cujus margines laceri sero cruento infiltrati magis extolluntur. In ultimo inflammationis stadio plura ulcuscula minora in manis, unum usque tres pollices latum, confluunt, corporum glandulorum nexus cum villosa membrana solvitur, et horum contingit per diarrhoeam eliminatio. Ulceribus licet confluentibus margines eorum distinguuntur, unde interna intestinorum facies cum favis similitudinem nanciscitur. Observatur simul exulcerata plaga luridis aut albescentibus conspersa granulis, partim secretionis mucosae productis, partim mucipararum glandularum reliquiis. Praeter haec ulcera hinc inde, praecipue in ieiuni media parte pallidae conspiciuntur plagulae, vix ultra membranam villosam elatae, atque arrosae aut innumeris papulis nigricantibus obsitae superficiei aspectum offerentes. Glandulae mesenterii vicinae pallide rubrae et mole adauctae saepe deprehenduntur: Similes contingunt intestinorum in dysenteriae, et morborum hecticorum stadio ultimo exulcerationes, quarum explicationi, libelli volumen adaugere nolens, interim supersedeo.

T h e r a p i a.

Quae prima et principalis in omni morbo indicatio est, causas excitantes tollere praecipit. Hinc venena, acria, corpora peregrina, sordes et quaevis alia irritamenta evacuanda, vel saltem innocua reddenda. Eo fine venenis et acribus sua opponuntur antidota, non neglectis in quibus, oleosis, mucilaginosi, quibus remediis et corporum peregrinorum inimicam actionem infringere studemus. Sordes eccoproticis mitissimis: manna, tamarindis, prunis, enematis emollientibus amoventur. Sub hernia incarcerata intestinorum repositio taxeos ope tentanda, quod si non successerit, ad herniotomiam refugiendum. Arthritidi, impetiginibus, exanthematibus repulsis therapia opponenda est, horum morborum ad sedem pristinam restitutionem moliens. Evacuationes consuetae restituendae, aut supplendae.

Ast, proh dolor! saepius medicus hanc indicationem praeterire, alterique morbum ipsum adgredi iubenti pro viribus satisfacere cogitur, idque tunc, ubi vel causa morbi abscondita, vel ejus amotio impossibilis est, aut ubi enteritis ad tantum iam increverit gradum, ut sine mora aptissima oppugnari debeat medicina, causarum sublacione hoc in casu inutili, imo noxia.

Inflammationem ipsam oppugnaturis ad huius naturam, gradum, extensionem, et characterem concomitantis febris attentio convertenda est. Si inflammatio fuerit phlegmonosa, rheumatica, ut dicunt, vel catarrhosa, synochalī stipata febris, methodus antiphlogistica in auxilium vocanda est pro gradu febris, et phlogoseos nunc mitior, nunc generosior. Cum enteritis latens multis in casibus lentiori incedat passu, venaesectione saepe carere possumus, ad usum sanguisugarum et reliqui apparatus antiphlogistici nos restringentes. Si vero concomitans febris fuerit vehementior, aut ubi dolor maiorem attingit gradum, pulsusque, statu virium licet bono, parvi fuerint, et debiles, et magna tandem intercesserit quoad calorem inter abdomen et extremitates differentia, solummodo ab instituta recto tempore venaesectione salutem sperare licet. Sanguinis copia, ut casus specialis dictaverit, nunc largior, nunc parcior emittenda, semel, ubi phaenomena antea recensita decreverint, pulsusque vigorem pristinum nanciscuntur; saepius, si aut nulla, aut exigua contigerit in meliora mutatio. Si febris impetu infracto inflammatio ultro perstiterit, hanc hirudinum applicatione domare necesse est. Interne decocta mucilaginosae e radice Salep, Altheae, seminum lini, Verbasci confecta, mixtura oleosa, emulsiones scopo morbum infringendi appri-

me satisfaciunt. Externe levia cataplasmata emollientia, et anodyna, clysteres emollientes, semicupia tepida indicationis therapeuticae paginam absolvunt. Praestantissimum balneorum adplicitis adplicandis in enteritide sive acuta, sive chronica effectum, mihi sub auspiciis celeberrimi Domini *Joannis Nobilis a Raimann* magistri mihi summa pietate et veneratione culti, videndi facta fuit occasio, aegris e balneo exeuntibus singulare levamen, dolorumque mitigationem persentientibus.

Minus commendari merentur inunctiones abdominis cum oleis emollientibus et, quae nonnulli commendant, suppositoria. Sunt, qui calomelis in infringenda intestinorum inflammatione laudes plenis decantant buccis. Ast mihi, cui non praesens solummodo, sed et futura aegri sors cordi est, laudibus his annuere non licet, calomelis quidem egregias virtutes, sed et mala ab eius usu posthumoscenti. Quod vero remedia emollientia in prudenti cum externis connubio morbo tollendo sufficient, satis superque experientia confirmatum habemus. Enemata, praesertim si intestinum colon, aut rectum adfectum fuerit, minori semper quantitate iniicienda, imo in ultimo casu saepe ob summam recti sensilitatem vaporibus emollientibus supplenda sunt. In usu omnium remediorum

eo usque continuandum, donec omne malum sedatum sit, et ultra, ut omnis evitetur recidivae metus. Si fracta intestinorum phlogosi alvi obstipatio persisteret, haec lenissimis eccoproticis: manna, prunis, tamarindis, oleo ricini; salibus mediis mitissimis, aqua Püllnana etc. cum similibus clysteribus tollenda foret.

Si febris enteritidem concomitans, nervosum induit characterem, methodus ei revellens opponitur, quare pediluvia irritantia, epispastica suris admota, vel et largum vesicans abdomini impositum suam sibi vindicant autoritatem. Interne decocta mucilaginosa ulterius continuentur, quibus aura additur camphorata. Nervoso febris characterem magis evoluto ad stimulantia fortiora, utpote: Caryophyllatam, Ipecacuanham, Angelicam, Valerianam, Imperatoriam, Arnicam, Liquorem c. c. succinatum, tincturas, et spiritus aromaticos fiat transgressus. Difficilius est rectum in tractanda ileitide febris nervosae superveniente iudicium, cum hic propinatio remediorum morbum alterum oppugnantium, alterum exasperet. Selectus itaque medicamentorum cum grano salis instituendus, et potius minus agendum, quam plus. Topice itaque hirudines tres ad octo adplicandae sunt, quarum applicatio, persistentibus dolore et meteorismo, incremente simul delirio pluries repetenda est. Dari ca-

sus, in quibus venaesectiones parvae solam sistunt anchoram sacram, celeberrimus *Bischoff* testatur, monens tamen, difficillimam esse horum casuum agnitionem, et medicum idcirco ad aegri constitutionem, febris vehementiam, pulsum, quos impetuosos et duriusculos vult, conditionem, viriumque statum perattentum esse debere. Signum porro caeteris paribus venaesectionem indicans censet esse respirationem difficilem et abdominalem. Exiguas, et potius nonnunquam repetitas evacuationes sanguinis phlebotomiae generosiori praeferendas esse experientia docet, et sana ratio suadet. Ad validiorem reactionem antagonistice excitandam commendantur scarificationes ad iliacam dextram regionem, et plagarum vulneratarum cum unguento tartari stibiati inunctio. Nec cataplasmatibus emollientibus ex anaticis partibus farinae seminum sinapis et lini confectis, sinapismis, vesicantibus, inunctionibus cum unguento mercuriali, camphorato, aromatico suo tempore deest utilitas. Viribus aegri nondum exhaustis tepida conveniunt semicupia. Magna premitur difficultate applicatio remediorum internorum tum ob duplicem morbi complicati naturam, tum quia inflammatio ipsa non est genuina et pura, sed per peculiarem dysorasiam modificata, in exulcerationem et gangraenam maxime nitens. Hanc inflammationis speciem veteribus gangraeno-

sam, recentioribus asthenicam, aut et neuroparalyticam nominare lubuit. Experientia docuit, huiusmodi inflammationes rarius perferre apparatus generosiores antiphlogisticum, et mox necessaria fieri remedia depressam vitalitatem tam topice, quam in universo corpore erigentia. Quae omnia si ad occultam adplicuerimus enteritidem, elucescit, sub huius initio praeter remedia externa iamiam nominata emulsionibus, decoctisque mucilaginosi, nec non parvis calomelis dosibus locum concedendum esse. Successive ad auram camphoratum, camphoram calomeli maritatum, et tandem lapsis iamiam viribus vitalibus, et comparentibus diarrhoeis ichorosis, utpote exulcerationem factam indicantibus ad stimulantia fortiora: radicem ipecacuanhae praepremis et arnicae refugiendum. Si vero fracta phlogosi febris nervosi characteris continuaverit, aut in lentam abire minetur, haec consueto apparatu stimulante, mitiori attamen, oppugnanda erit.

Clysteres sub inflammationis initio pacantes sint et involventes ex decoctis mucilaginosi cum amylo confecti, tardius leniter stimulantibus, ex florum chamomillae vulgaris infuso cum tinctura anodyna simplici parati. Validius stimulantibus ex valeriana, camphora, assa foetida constantes non nisi, ubi maxima adest virium debilitas cum intestinis exulceratis, adhibendi. Haec methodus me-

dendi ab expertissimis viris commendata prae aliis sanae respondet rationi, quin negari possit, eam saepenumero non suffecisse, et tutiora, securiorave posse existere remedia ad infaustam hanc complicationem tollendam. Quam clariss. *Lesser* proponit, methodus in eo consistens, ut ingruenti inflammationi magnae doses mitis hydrargyri muriatis — scrupulus et ultra — opponantur, semel aut bis de die propinandae, parum habet primo obtutu, quod illam medico rationali commendaret. Docebunt ulteriora virorum solida scientia, castave experientia ductorum pericula, in quantum huic methodo fidendum sit. Enteritis cum feбри putrida incedens ad hanc in duplici esse potest relatione, uti id de ileitide nervosa dictum est. Therapeuticae indicationes hinc quoque cum exigua modificatione eadem. Quousque aliqua supersunt inflammationis vestigia, corticem peruvianum adhibere nefas est, cum meteorismus et diarrhoea inde potius augeantur. Illa vero abacta eius usus, uti ille acidorum mineralium dilutorum, indicatissimus est.

Diaeta in his enteritidis speciebus virium statui, et topicae affectionis conveniat incremento, aut decremento, ab initio itaque mitis antiphlogistica, dein leniter stimulans, stimulos successive augendo et minuendo, omnia vero parce, sed crebrius exhibendo.

Theses defendendae.

I. Luxurians phantasia morborum somaticorum causa saepe proëgumena, nunquam procatartica.

II. Datur febris cum scrophulosa diathesi arctissime juncta.

III. Non existunt morbi imaginarii.

IV. Graviditas, etiamsi vera, non sistit criterium amissae virginitatis infallibile.

V. Crescente numero medicorum crescit numerus agyrtarum.

VI. Juveni medico veterum studium utilius, quam plurimorum recentiorum.

VII. Febris hungarica, asthenia pannonica, et hemitritaeus Daciae non sunt propriae morborum formae.

VIII. Natura sanat, medicus curat; ideo multi sanantur male curati.

IX. Dentitio multorum malorum aetatem infantilem infestantium scaturigo est.

X. Balnea saepe nullo remedio suppleri possunt.

XI. Vera prognosis securissimum est boni medici criterium.

XII. Dantur morbi medicinae in aeternum resistentes.

